Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36571
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

scissimus. egregius rethoricus. preclarus in uirtutibus. cecis uisum restituens.
mortuis uitam reparans. demonia eiciens. omniumque infirmitatum languo
ribus medelam faciens. Transitum autem rex faciens secus ciuitatem remi. per uiam
que usque hodie propter barbarorum iter per eam barbarica nuncupatur. noluit
in eandem ciuitatem introire. ne ab exercitu suo aliquid mali ibi fieret. sine
uoluntate et conscientia ipsius. pars quedam indisciplinatorum quibus ni
erat potestas temporalis inhabitantium que eis resisteret. eandem ciuitatem
intrauit. et quedam ornamenta atque sacra uasa inde rapientes ut predones
solent asportauerunt. Inter que urceum mire magnitudinis atque pulchri
tudinis rapientes tulerunt. Sanctus autem Remigius missos suos ad regem ludo
wicum direxit. deprecans ut si aliud de sacris uasis ecclesie recipere non mereren
tur: uel illum urceum missis suis redderet. Hec audiens rex. ait ad missos eccle
siasticos. Sequimini nos usque suessionis ciuitatem. quia ibi cuncta que acqui
sita sunt diuidenda erunt. Cumque michi urceus ille in partem obuenerit. que
episcopus postulat adimplebo. Veniens autem suessionis ciuitatem. cunctam predam
que asportata uel acquisita fuit. rogat afferri in medium. Cumque omnia fu
issent in presentiam regis allata dixit. Rogo uos o fortissimi pugnatores
ut dare michi istum urceum non negetis. Hoc rege dicente. illi franci qui
bono animo fuerunt aiunt. Omnia gloriosissime rex que cernis tua
sunt. et nos tuo dominio sumus subiecti. quod tibi bonum uidetur hoc
fac. nullus enim resistere tue potestati ausus est. Cum hec illi benignissi
me dixissent. unus francus leuius cum uociferatione eleuata bipenna
que alio appellatur francisca. percussit urceum illum dicens. Tu nichil hinc
accipies rex. nisi quod sors uera donauerit. Obstupefactis omnibus. rex in
iuriam suam patienter sufferens. acceptum urceum nuncio ecclesiastico reddit.
seruans iram in corde absconsam. Transacto anno ludowicus rex ut om
nium armorum nitorem uideret. omnem exercitum iussit cum armorum apparatu
uenire secundum morem in campo martio. Sic nunc uentum uocabant illum
a marte. quem pagani belli credebant deum. A quo et martium mensem